

Ostensam ratione, qua contentiones in doctrina
Ecclesiastica de satisfactionibus componi pos-
sunt, & tradita simplici de his docendi formula:
restat, ut ad illa, quæ opponuntur, respondeamus.

Sed addam prius unum aut alterum testimonium
ad confirmandum id, quod ultimo loco dictum est,
communes misérias in hac uita, & mortem, ac per-
sonales etiam pœnas diuinitus comminatas, non tol-
li omninò per nostras satisfactiones, aut deprecatio-
nes, sed manere etiam post remissionem peccato-
rum, ut sint exercitia fidei, & propter alias causas
suprà commemoratas.

Ita enim docet Augustinus lib. 2. de peccatorum
meritis, & remissionibus, cap. 34. Si Deus, inquit,
propter peccatum illud fuerat comminatus Dauidi,
ut humiliaretur à filio, cur dimisso peccato, quod
erat comminatus, impleuit, nisi quia rectissimè, si
dictum fuerit, respondetur, remissionem illam pecca-
ti factam, ne homo ad percipiendam uitam impedi-
retur æternam, subsequutum uerò illud commina-
tionis exemplum, ut pietas etiam in illa humilitate,
exerceretur atq; probaretur, sic & mortem corpo-
ris propter peccatum Deus homini inflixit, & post
peccatorum remissionem, propter exercendam iusti-
tiam, non ademit.

Gregorius lib. 9. moralium. in Iob, cap. 2. circa
illud, Deus, cuius iræ resistere nemo potest, disertè
querit, quomodo iræ Dei resisti non posse, dicitur,
cum multi sancti deprecati sint iram Dei contra po-
pulum

B

pulum